





of III Ed.

**VIRI PRAECLARISSIMI  
DOMINI  
M. PAVLI GEORGI  
KRVSIKI**

**IOANNEI HAMBURGENSIS PRORECTORIS  
CELEBERRIMI DIVVM MATTHIAM DANIELEM  
FILIVM DOLENTIVS DESIDERANTIS  
FATO COMMOVETVR**

**ERNEST. CHRISTIAN. SCHROEDTERVS  
MATHEM. PROF. PVBL**

---

**VVITTENBERGAE SAXONVM  
FORMIS CHRISTIANI SCHROEDTERI ACADEM. TYPOGR  
A. X. S. CIO I. C. CC XII**



Quotiescunque coetui eruditorum  
iuuenem summae expectationis fa-  
tum acerbius eripit, toties intimis  
sensibus angor, idque eo magis,  
quo magis seculum penuria laborat literatorum.  
Mirum quidem dictu uidetur, ac tantum non  
incredibile, deesse homines studiis deditos, u-  
numque tantum sui desiderium relinquere, cum  
adeo illi affluant, ut nimia potius multitudine  
orbis laboret. Quod si igitur in paucitate gra-  
uis iactura est, ut recte iudicat Curtius, uix, ac  
ne uix quidem, innumerabili quispiam numero  
requiretur. Enimvero, quamuis eorum, qui  
docti uolunt appellari, plena sint omnia, secu-  
lumque hoc nostrum, post hominum memori-  
am, quam feracissimum uideatur, tamen, si Dio-  
genis lucerna inquiras, aegre sexcentessimum  
repereris, qui nomen re ipsa tueatur, et, in theo-  
logia, ultra concionandi, ut uocant, artem, in iu-  
re, ultra forensem litigandi peritiam, in medici-  
na, ultra formulas medicamentorum componen-  
di facultatem, progrediatur. Tam ab illa immensa  
societate literatorum uere doctrina culti in ex-  
iguum angustumque concluduntur, ut inde uel u-  
nius iactura molestissima sit, cumque illorum nu-  
merus iniri haud possit, hi contra facile queant  
percenferi, ac propemodum digito monstrari.  
Satis igitur causae mihi esse uidetur, cur Filium  
tuum,

tuum, Praeclarissime Vir, publico priuatoque nomine, doleam, e uita excessisse. Memini, cum, abhinc pluribus annis, Hamburgum transirem, Frisiam, orientem uersus, petiturus, data a te progressuum in studiis explorandorum potestate, ita mihi puerum e Graecis respondisse, ut admirationem moueret. Intelligebam simul, ipsum in legendo tum Homero, sine pedis offensione, feliciter uersari, et ad id, aliaque cum laude conanda, ualere ingenio praestantiore, quod naturale bonum singulari tua instituendi opera adiuuisti, teque sic ab aliis, aliarum scholarum magistris, non minimum distinxisti, qui, ut ipsi interioris, et Graecae, et Latinae, eruditionis ignarissimi sunt, ita suos barbarie inficiunt, et, uelut extincto humanitatis lumine, quod literis accendendum est, ad feritatem abducunt. Si enim, prudentissimi uatis iudicio, artes fideliter didicisse, mores emolliat, nec feros esse sinat, facile intellectu est, intermisso ingenii cultu, qui ab liberalibus petendus studiis, hominem, elisis omnibus sapientiae neruis, stupefieri ac torpere. Sic rudes discipulos in Academias dimittunt, non, ut in officinis his elegantiorum doctrinarum poliantur limenturque, ne doctiores praeceptoribus euadant, sed, ut incitiam propagent. Cumque adeo, propter subsidiarum inopiam, eruditorum scholas frequentare nec possint, nec uelint, linguarum  
item

item ac bonarum artium notitiam consequi tum  
desperant, tum pigrentur, nullo prorsus funda-  
mento sua illi stabiliunt, ac, aut in concionem sa-  
cram, aut forum, aut aegroti domum, prouo-  
cantes, uel stentores, uel rabulas, uel circumfora-  
neos, agunt, non theologos, non iureconsultos,  
non medicos, quibus Dei honos, hominumque  
salus, curae est atque cordi. Filius tuus, Amplissi-  
me Vir, postquam in Academiam nostram, tri-  
bus circiter ante annis, eximio literarum appa-  
ratu instructus, uenit, statim sectatus est clarissi-  
mos quoque doctores, ac eorum commentatio-  
nibus pariter, ac disputationibus, et audiendi, et  
respondendi aequae, ac contradicendi, operam  
nauauit. Kirchmaiero in primis, Collega hono-  
rando, uitae studiorumque moderatore gauisus,  
breui eo processit, ut de sepulcro Christi, contra  
Salmasium, superiore anno, solenni eruditorum  
corona, pugnans, summam audientibus expecta-  
tionem sui commoueret. At dies funestus XVI  
Kal. Quintiles rempublicam literatam iuxta, ac  
patriam, ornamento hoc, parentes solatio, nos  
delicio, orbauit, uehementerque afflixit. Cu-  
ius memoria ut nunquam intercidet, ita Deum  
precor, ut te, senem, carissimamque uxorem,  
ac Filium unicum, firmissimum familiae Kra-  
fsikianae fulcrum, eundemque, multis nominibus,  
dudum bonis doctisque quam commendatissi-  
mum, diu superstites diuo esse uelit iubeatque.

Ung VI 3

W 18  
V 17





*of III 61.*



RAE CLARISSIMI  
 DOMINI  
 LI GEORGI  
 RVSIKI  
 BVRGENSIS PRORECTORIS  
 VVM MATTHIAM DANIELEM  
 POLENTIVS DESIDERANTIS  
 ATO COMMOVETVR  
 ISTIAN. SCHROEDTERVS  
 THEM. PROF. PVBL  
 NBERGAE SAXONVM  
 NI SCHROEDTERI ACADEM. TYPOGR  
 R. S. CIO I O CC XII

